



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LX. Paupertatis. Exacta Disquisitio, ad quid Religiosus teneatur sub
gravi peccato vi Voti Paupertatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)

CONSILIUM LX.

De casu nimiae laxitatis in materia voti paupertatis Religiosæ.

SUMMARIUM.

1. Facti species.
2. 3. 6. 7. Religiosus potest peccare contra paupertatem, quin peccet contra iustitiam, & vicissim.
4. 5. Potest Religiosus eodem actu peccare graviter contra iustitiam, & leviter contra paupertatem, ac vicissim.
8. Religiosus ex voto paupertatis obligatur, ne proprium quid habeat, vel aliquo tanquam proprio utatur.
9. Item paratus esse debet ad exuendam possessionem, & usum rerum.
10. Absque consensu superioris nihil potest accipere, absumere, alteri donare &c.
11. Nec permutare res sibi concessas.
12. Nec mutuo vel commodato dare.
13. Nec pro lubitu distribuere res sibi commissas.
14. Nec Eleemosynas ex bonis Monasterii dare ultra voluntatem superioris.
15. Accepta ab aliis absque facultate, non potest suo nomine Religiosus donare alteri.
16. An possit accipere pecuniam nomine alterius, sed suo arbitrio expendendam?
17. 18. Res concessa ad certum usum, non possunt applicari alteri usui.
19. 20. Ex rebus, quæ domi sunt, nihil potest Religiosus sibi usurpare.
21. 22. Nec ab externis pro se accipere sine licentia.
23. Contra paupertatem est pecunias recipere in vim depositi: aliud est, si accipiantur pura custodia causa.
24. Non potest Religiosus pecunias expendere in res illicitas aut vanas, etiam cum permissu Superioris.
25. Non decet retinere superflua.
26. Religiosus tenetur in rebus conservandis etiam diligentiam prestare, quam Usuarius, qui precario re aliena utitur.
27. Non tamen tenetur ex culpa levi.
28. Difficilis est resolutio questionis, quando peccetur graviter contra paupertatem.
29. Quantitas sufficiens ad peccatum mortale fur-
- ti, etiam sufficit ad constituendum peccatum mortale contra paupertatem.
30. seqq. Admissa hac regulâ referuntur varia sententia circa quantitatem, quæ constituat peccatum grave contra votum paupertatis.
33. seq. Probabilius gravitas peccati contra paupertatem desumenda est ex materia furti secundum se, seclusis aliis circumstantiis.
35. Gravius peccatur rem alienando, destruendo &c. quam præcisè usurpando.
36. In consumptione esculentorum major quantitas ad peccatum grave requiritur, quam in aliis rebus.
37. Plures violationes leves paupertatis an & quando coalescant in unam gravem?
38. Quantitas ad peccatum grave contra paupertatem sufficiens, ampliatur ab aliquibus ad unum aureum, à nemine ad tres aureos.
39. Licentia, quæ excuset subditum à paupertatis transgressionem, debet esse voluntaria Superiori.
40. Et iusta.
41. Potest esse expressa, vel tacita, vel præsumpta.
42. sufficit licentia præsumpta, si Superior ob aliquam difficultatem non aditur, præsumitur tamen non esse absolute invitatus.
43. Fere semper tamen committitur peccatum veniale, quia Superior modum improbat.
44. Licentia præsumpta non est, si creditur, quod Superior eam nolit dare, nisi actu petatur.
45. 46. si subditus strictum jus habet ad aliqua, potest ea absque licentia acquirere, si Superior neget.
47. Alias Religiosus contra paupertatem agit accipiendo absque licentia, etiam si Superior imprudenter neget.
48. Datur etiam licentia generalis in rebus minoris momenti.
49. seqq. Pœna violentium paupertatem.
52. Decisio Controversiarum.

FACTI

FACTI SPECIES.

I.



Abogastus Religiosus Professus furatur Monasterio ex huius rebus unâ acceptione tres aureos, persuadetque sibi, se tali furto peccatum grave non commisisse. Ut hoc sibi persuadeat, proponit sibi hoc fundamentum, quod putat in praxi tutum esse, nimirum, nunquam peccari graviter contra paupertatē Religiosā, nisi simul etiam peccetur graviter in genere furti contra iustitiā. Cum ergo generalis doctrina apud DD. sit, quod gravitas peccati in genere furti desumatur ex quantitate sustentationis diurnæ, concludit, graviter contra paupertatem à Religioso non peccari, nisi tantum furetur, quantum sufficit ad sustentationem diurnam personarum Monasterii, in quarum numero includit non tantum ipsos Religiosos, sed etiam famulos, ancillas, opifices &c. inservientes Monasterio. Existimat autem, ad mensurandam gravitatem furti contra iustitiam, consequenter etiam peccati contra paupertatem considerandas esse facultates ipsius monasterii; nam, si monasterio, non diviti extraneus quis furetur florenos tres, alius prædiviti monasterio duos aureos, iudicat neutrum peccare graviter, neque sub gravi obligari posse ad restitutionem ei faciendam. Ex quo infert, cum Religiosus considerandus sit instar filii, & filii ex rebus parentum suorum sine peccato mortali plus possint subducere, quam alii extranei, etiam Religiosum non peccaturum graviter contra paupertatem, si monasterio, licet non diviti furetur semiduplo plus, quam tres florenos; prædiviti autem (quale dicit esse suum Monasterium) tres aureos. Dubitatur, an doctrina hæc aliquam probabilitatem habeat quoad praxim, & forum internum? Responso ad hoc dubium patebit ex resolutione sequentium Quæstionum.

QUÆRITUR I.

An Religiosus peccare possit graviter contra paupertatem, quin graviter peccet contra iustitiam in puncto furti & vicissim?

2. **R**esp. posse utrumque fieri. Et quidem contra paupertatem peccat Religiosus, non verò contra iustitiam, quando dominus rei Religioso dat licentiam de hac disponendi revocabiliter & ita, ac

sub ista conditione, ut illa Monasterio non acquiratur; nam si Religiosus de tali re disponat, & ad ita disponendum non petat licentiam, seu consensum à suo Prælato, ita disponendo peccat contra paupertatem, quippe cum de nulla re temporali sine consensu Prælati sui expresso, vel tacito Religiosus disponere invito paupertatis religiosæ possit: non verò peccat contra iustitiam; nam dispositio hæc non fit invito domino. Nulla autem dispositio de re quapiam temporali repugnat iustitiæ, si dispositio talis non fiat invito domino, ut cum reliquis DD. notat

Less. l. 2. de iust. c. 41. n. 80. Illung tract. 4. D. 2. n. 212.

Contrà Religiosus adversus solam iustitiam peccat, quin peccet contra paupertatem, si utatur re alienâ cum consensu Prælati, & usus talis rei sit conveniens statui Religioso, dominus autem rei sit invitus contra talem usum.

Illung D. 2. cit. n. 213.

Ratio est, quia contra paupertatem solummodo peccatur, quando vel non adeit consensus Prælati, vel usus sit talis, ut ejusmodi usum Prælatus Religioso suo subdito non possit concedere. ponitur autem hic, quod usus talis rei non sit disconveniens statui Religioso, & Prælatus Religioso suo subdito usum ejus concedat. ergo contra paupertatem tali casu non peccatur; peccatur autem contra iustitiam, quia Religiosus utitur re alienâ invito domino.

Similiter potest Religiosus uno, eodemque actu peccare graviter contra iustitiam, & leviter contra paupertatem, & vicissim. Exemplum primi esto: sartor habet unicum acum, nec potest hic & nunc aliam acquirere; hanc Titius Religiosus sartori aufert, & inde sequitur sartori grave damnum; quia artem suam exercere, & sic victum sibi comparare non potest. In hoc casu Religiosus, acum sartori auferens, ob grave damnum, quod sartor invitus patitur, peccat graviter contra iustitiam; non autem peccat graviter contra paupertatem; quia gravitas peccati contra paupertatem non à damno proximi, mediata, & per accidens tantum illato, sed ab æstimatione rei secundum se mensuratur.

Illung D. 2. cit. n. 214. & 215.

aliud exemplum est, si homini pauperi Religiosus surripiat unum, vel duos argenteos, & de hac pecunia sine facultate Prælati sui disponat; nam tali casu ob damnum grave, quod pauper exinde patitur, graviter Religiosus peccat contra iustitiam; non autem graviter peccat contra paupertatem, quippe cum in ordine ad violationem paupertatis, an gravis illa, vel levis sit, mensura juxta modum dicta non sit sumen.

sumenda à quantitate damni mediata, & per accidens illati, sed ex æstimatione rei secundum se spectata, quæ in casu dato secundum se gravis non est.

Palao *tract.* 16. *D.* 3. *p.* 20. *n.* 2.

5. Contrà potest Religiosus peccare leviter contra iustitiam, & graviter contra paupertatem, ut si furetur regi, vel alii homini ditissimo duos, vel tres florenos; nam talem summam accipiendo à tali homine, si solum spectetur damnum, quod is, cui illa subrepta est, inde accepit, peccat leviter contra iustitiam, de ea autem disponendo sine licentia superioris peccaret graviter contra paupertatem. Atque hinc regula illa, quæ dicitur, violationem paupertatis gravem esse, quoties violatione iustitiæ gravis est, per ea, quæ monent

Suar. *tom.* 3. *de Relig.* lib. 8. *c.* 6. *n.* 9. &

Palao *punct.* 20. *cit.* *n.* 3.

non est perpetua; nam juxta istos, stante violatione iustitiæ secundum se levi, violatio paupertatis potest esse gravis, quippe cum ad violationem iustitiæ gravem major videatur requiri quantitas, quam ad violationem paupertatis. Rationem dant, quia gravitas violationis iustitiæ desumitur ex læsione proximo facta in bonis externis, ad usum vitæ necessariis, quæ latius viam habet, quam læsio paupertatis, quæ desumitur ex infidelitate, per hoc commissâ, quod Religiosus non exequatur, quæ DEO promisit in sua Professione, quæ infidelitas, utpote cultûs Divini omisio, ad sui gravitatem minori materiâ contenta est.

6. Atque ex hoc deducitur sequens Corollarium, scilicet frequenter quidem eum, qui violat votum Paupertatis, committere peccatum furti, & iniustitiæ, non tamen semper. Utrumque committit Religiosus, si furtum faciat ex rebus Monasterii sui, vel à sæculari absolute donatas recipiat, retineat, vel expendat, superiore inconsulto; nam ita donatæ res in dominium Monasterii transeunt, & sic idem est huiusmodi res, inconsulto Superiore, accipere, retinere, & expendere, ac si hoc faceret ex rebus ipsius Monasterii. Peccatum contra paupertatem Religiosam autem committit Religiosus, non autem peccatum furti, vel iniustitiæ in casu proposito sub *num.* 2. quippe cum eo casu Dominus non sit invitatus, utpote retinens dominium, & administrationem rerum, Religioso pro usu ejus ab ipso concessarum.

Cordub. *summ.* *q.* 109. Navar. *lib.* 3.

derefit. *p.* 3. *dub.* 3. *n.* 182. Sayr. *Clav.*

Reg. *lib.* 9. *c.* 16. *n.* 21. Sanch. *lib.* 3.

moral. *c.* 19. *n.* 55. & *c.* 20. *n.* 7. cum

seqq. Less. *lib.* 2. *de iust.* *c.* 41. *dub.* 9.

n. 80. Palao *p.* 20. *cit.* *n.* 4.

7. Contrà verò peccatum furti committit Religiosus, quin adversus paupertatem Religiosam peccet, si res furto subreptas

R. P. Schmalzgrueber *Consilia.*

cum licentia superioris, ignorantis, quod furto sublata sint, retineat, usque utatur; nam tali casu res istas jam non proprio, sed nomine alieno usurpat. Doctrinam istam

Sanch. *c.* 20. *cit.* *n.* 10. & Suar. *l.* 8.

cit. *c.* 11. *n.* 15.

extendunt etiam ad casum, si Religiosus à sæcularibus rem accipiat, non ut sibi retineat, sed ut monasterio tradat, aut aliena contra domini voluntatem destruat: rationem dant; quia tunc Religiosus nihil sibi usurpat. Contrarium tamen tenent

Valent. 2. 2. *D.* 10. *q.* 4. *p.* 3. *ψ.* *pater*

Less. *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 9. *n.* 79. Palao

n. 4. *cit.*

ex ratione, quia paupertatis violationem constituit rei temporalis usus, & administratio absque licentia legitimâ superioris, atqui surripienti rem alienam, ut monasterio tradat, jam usurpat illam, illaque utitur absque superioris legitima licentia, igitur hoc casu jam violat paupertatem: neque sic accipientem excusat, quod ex superioris voluntate rem istam acceperit; nam ea voluntas: utpote iniqua, nullius effectus est, quippe cum superior subditis suis concedere nequeat, quod ipse administrare non potest. Multo magis paupertatem violat Religiosus rem alienam, Domino illius invito, destruens; cum enim nihil magis proprium domini excogitari possit, quam rei destructio, sic destruendo jam usurpat rem alienam non retinendam.

QUÆRITUR II.

*Ad quid Religiosus teneatur vi
voti paupertatis?*

8. Respondeo imò ex hoc voto obligantur Religiosi omnes, & singuli, ne proprium quid habeant, vel aliquo tanquam proprio utantur, prout constat ex

can. non dicatis 11. *caus.* 12. *q.* 1. *c.* *Monachi*

2. c. super quodam. 4. & *c. cum ad*

Monasterium 6. *de stat. Monach. & Canon. Regul.*

nam hoc votum emittentes se abdicant in perpetuum omni rerum temporalium externarum, quæ bona fortuna dicuntur, dominio, possessione, & alio reali jure, vel saltem liberali dispositione, & usuillarum. Consequenter omnis dispositio, alienatio &c. talium bonorum, sine consensu Prælati facta, non solum illicita, sed etiam invalida est.

Valent. *tom.* 3. *D.* 10. *q.* 4. *p.* 3. Sanch.

l. 7. *moral.* *c.* 18. *n.* 25. Less. *lib.* 2. *de*

iust. *c.* 41. *n.* 78. Laym. *lib.* 4. *tract.* 5.

c. 7. *n.* 1.

Et hoc procedit, etiamsi Religiosus (ut fit in

(Xxx)

in Societate Jesu) aliquamdiu post emissâ vota Religiosa retineat proprietatem bonorum suorum; nam, si Religiosus de bonis, quæ vel ante ea vota acquisivit, vel postea acquirit, sive inter vivos, sive mortis causa absque superioris consensu disponat, pro quantitate materiæ contra votum paupertatis peccat mortaliter.

Laym. c. 7. cit. n. 3.

9. Et hinc 2. paratus esse debet ad exuendam possessionem, & usum rerum sibi concessarum omni momento, quo Superior jussit, quia non potest hæc retinere, nisi cum dependentia à voluntate Superioris.

Less. c. 41. n. 78. cit.

Ex quo proin sequitur, quod transgressor voti paupertatis sit Religiosus, si quid abscondat, ut liberæ dispositioni superioris subducatur; hoc enim semper judicatum fuit continere culpam proprietatis, prout colligitur ex

c. super quodam 4. & c. cum ad Monasterium 6. cit. Less. n. 78. cit.

Extenditur imò ad casum, si Religiosus, quæ cum Prælati licentia accepit, postea abscondat, ne Prælatus ea volens revocare, propositum suum exequi possit.

Sylv. V. Religio 6. q. 7. dict. 1. Mendoz. q. 8. concl. 4. Sanch. lib. 7. Moral. c. 19. n. 60. Laym. c. 7. cit. n. 8. §. septimo.

Item 2dò si dum illa ipsi à Prælato adimuntur, murmure, quasi injuriâ affectus esset. Nec minùs 3. si murmure, & querelis impediatur, quo minùs Prælatus revocare, aut auferre rem audeat; nam tales actus sunt tanquam dominii independentis, seu juris proprietarii, qui voto Religiosæ paupertatis repugnant.

Less. lib. 2. de just. c. 4. n. 25. & c. 41. n. 78. cit. Sanch. lib. 7. moral. c. 19. n. 60. Laym. n. 8. cit. post Joan Andr. Archid. & alios. iuxta quos proprium dicitur, quicquid celas Prælatum, vel contra ejus voluntatem tenes.

10.

3. Non potest rem quampiam seu domi suæ, seu foris, etiam ex iis, quæ ad victum, vestitum &c. pertinent, sine superioris sui consensu expresso, tacito, vel præsumpto accipere, retinere, absumere, alteri donare &c. & si contra fecerit, adversus paupertatem Religiosam peccabit. Ita communis cum

S. Antonin. p. 3. tit. 16. c. 1. §. 11. Major. in 4. dist. 38. q. 9. Sylv. V. Religio 6. q. 7. Navar. Comment. 2. de regular. n. 20. & in summ. c. 17. n. 105. Azor. p. 1. lib. 12. c. 12. Valent. tom. 3. D. 10. q. 4. p. 3. Less. c. 41. cit. n. 78. Sanch. lib. 7. moral. c. 19. Laym. c. 7. cit. n. 4.

Et hoc etiam procedit quoad esculenta, & poculenta, quæ domi v. g. in mensa apponuntur; quia nec ista contra Prælati volun-

tatem Religiosus secum auferre, vel alteri largiri potest, prout cum aliis docet

Mendoza concl. 3. Sot. lib. 4. de just. q. 1. art. 1. concl. 2. Laym. c. 7. cit. §. tertio violat.

ex paritate factâ cum eo, qui exceptus est convivio; nam is, qui convivio aliquem excipit, non facit illum dominum esculentorum, & poculentorum, quæ apponuntur, neque copiam ei facit, ut illa ad alios transportet, aut in propriam domum secum afferat. Nec quidquam juvat, si Religiosus in sui excusationem dicat, se propriâ parsimoniâ, seu genium suum defraudando aliquid reservasse, ut in alios liberalis esse possit; cum enim ille dominii incapax sit, ita parcendo, vel reservando, nihil sibi proprium acquirit, sed ea, quæ à Religioso non consumuntur, in bonis Monasterii remanent, ac propterea sine Prælati consensu nulli dari, aut alia ratione expendi ab eo possunt.

Laym. c. 7. cit. n. 5.

Et hinc juxta eundem Doctorem l. cit. id, quod etiam

Navar. de reat. Eccl. q. 1. monit. 33.

Lud. Beja p. 4. cas. 32.

tradunt, scilicet, quod Religiosus, extra Monasterium vivens, id, quod ex designatione sibi annuis redditibus parcius vivendo colligit, donare possit consanguineis pauperibus, verum duntaxat est, si rationaliter præsumptus Prælati consensus accedat, vel si liberam, atque à Prælato independentem administrationem habeat, ut quia est Beneficiatus, vel à summo Pontifice dispensationem obtinens.

4. Non potest absque Prælati sui consensu permutare res sibi concessas; nam permutatio est actus dominii, vel liberæ administrationis, quâ Religiosi ordinariè carent. Videtur quidem

Rodrig. p. 2. summ. c. 31. n. 7.

sensisse, per hujusmodi permutationem non peccari mortaliter, tametsi illa cum externis instituatur, modò conventui jactura magna inde non eveniat; quia æqualia cum permutatis recipit. Sed meritò contrarium docent

Sanch. l. 7. moral. c. 19. n. 67. & Laym. c. 7. cit. n. 4. §. sed quid sentientium.

Ratio est, quia, ut dictum est, est actus dominii, qui à solo habente dominium, vel legitimam rei administrationem rectè fieri potest. Et hinc, si res sit magni momenti, per talem permutationem videtur peccari mortaliter. Sæpe tamen præsumi potest, superiorem invitum non esse, ut, quæ Religioso ad suum usum concessa sunt, v. g. Brevarium, aut vestem cum aliis commutet, quæ sibi magis accommodata videntur, præsertim, si permutatio fiat cum domesticis: imò etiam cum externis, si, quæ vicissim Religiosus permutans recipit, similia sint, aut æqualia.

Laym.

Laym. *¶. sed quid sentiendum cit.*

ubi addit, interdum, licet Superior invitus sit quoad modum, quia talia sunt, ipso non rogato, non tamen invitum esse quoad rem ipsam: proinde culpam mortalem tali permutatione non committi, quamvis illa paupertatis Religiosæ perfectioni repugnet, & occasionem majoris prævaricationis voti incurrendæ præbeat.

12. 5. Non potest mutuo, vel commodato quidquam ex iis, quæ ad usum ipsi permittuntur, dare alteri absque superioris facultate.

Less. lib. 2. de just. c. 41. n. 78. Laym. c. 7. cit. n. 4. *¶. secundo*

Ratio est, quia solum est Usuarius habens nudum usum facti, ut Nicolaus III.

c. exiit 3. de Verb. signif.

ait, idque precario, quamdiu superiori videbitur. Usuarius autem non potest usum rei alteri concedere; hoc enim non est usuarii, sed usufructuarii.

S. minus 1. & seq. inst. de usu, & habet.

In rebus tamen parvis, & crebro occurrentibus censetur esse facultas tacita, vel generalis, saltem ad breve tempus.

Less. n. 78. cit.

Imò etiam in rebus majoris pretii sæpe à mortali excusari Religiosus, qui ejusmodi rem absque superioris facultate commodat, potest; etsi enim v. g. liber, quem commodat, valeat 10. aureos: consequenter, si Religiosus hunc sibi vindicaret, indubitato committeret peccatum mortale, usus tamen talis libri non perpetuus, sed temporalitanti non æstimatur, ut mortalis peccati materia sit. Quare usum talis libri ad tempus sibi vindicare, vel alteri, etiam extraneo, concedere non mortale, sed veniale peccatum erit.

Sanch. lib. 7. moral. c. 19. n. 57. & c. 20. n. 6. Laym. c. 7. cit. n. 4. *¶. secundo.*

13. 6. Non potest absque facultate superioris rem aliquam donare, alienare, distribuere. Estque hoc verum, etsi illa ex iis sit, quas cum ejusdem superioris facultate accepit; non enim hoc ipso facultatem habet eam donandi, alienandi &c. nisi sint talis generis, quæ in hunc finem conceduntur, ut aliis denuo donari possint, ut sunt imagines, rosaria, & similia munuscula; nam si talia Prælati regularis subdito suo Religioso donet, vel ab alio donata permittat, sciens, subditum non indigere illis ad proprium istius usum, hoc ipso tacite censetur dare facultatem ea donandi aliis seu domesticis, seu externis, sicut consuetum est.

Sanch. c. 19. cit. n. 70. Laym. n. 4. cit.

Et hoc procedit, etsi generalem rerum R. P. Schmalzgrueber Consilia.

ejusmodi administrationem habeat, ut sunt Procuratores, Oeconomi &c. non enim potest eas distribuere pro suo arbitratu, sed solum ex præcepto, & mente superioris, ita, ut non det alia, nec plura, vel pauciora, nec meliora, vel deteriora, quam scit superiorem velle: qua parte enim recedit à mente superioris, incurrit in vitium proprietatis; nam ita dispensat, ac si esset dominus, & ab alterius arbitrio non penderet. Ita

S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. ibi, oportet, quod ea, in quibus inferior Superiori subijcitur, dispense non aliter, quam ei sit à Superiore commissum. Molin. tom. 2. de J. & J. tract. 2. D. 276. n. 7. ibi, in nostra societate Officiales pendere in omnibus à præscripto, & voluntate, saltem præsumptâ, ejus superioris, cui subsumunt.

Consequenter ita distribuens committit furtum, & simul peccat contra votum: & qui ab eo accipit, ejusdem furti fit particeps, & si Religiosus sit, etiam voti prævaricator, ut cum S. Thom. & Molin. cit. advertunt

Navar. Comment. 2. de regular. n. 9. Less. n. 78. cit. *¶. quarto* Laym. c. 7. cit. n. 9.

Sed & ipsi Religionum Prælati paupertatem violant, & contra justitiâ delinquant, si bona conventus aliter expendant, vel donent, quam Ordinis sui regula, vel consuetudo, aut Superiorum Prælatorum voluntas ipsis permittit.

Navarr. comment. 2. cit. n. 11. & 23.

Si verò contra fecerint, donatio, aut alienatio erit irrita, & sic donata, vel alienata manebunt restitutioni obnoxia, ex ratione, quia Prælati non sunt bonorum communium domini, sed solum administratores.

c. fraternitatem 2. de donation. Sanch. l. 7. moral. c. 19. n. 30. Laym. l. 4. tract. 5. c. 7. n. 10.

Notant verò DD. requiri materiam notabilem, seu gravem, ut prævaricatio voti paupertatis mortalis fiat: quanta autem materia esse debeat, ita definire solent, sicut in furto.

Navarr. lib. 3. conf. 75. dub. 3. de regular. edit. r. Graff. p. 1. decis. lib. 3. c. 5. n. 49. Azor. p. 1. lib. 12. c. 12. q. 6. Sanch. lib. 7. moral. c. 20. n. 3. Laym. c. 7. cit. n. 11.

7. Non potest Religiosus sine consensu Prælati sui expresso, vel tacito dare Eleemosynas: ubi tamen distinguendum est, an ex dentur ex bonis conventus, an ex acceptis à sæcularibus. Si ex bonis Conventus, videndum, an ea sit communitati, an verò proprio ipsius Religiosi usui destinata. Ex bonis communitati destinatis non licet privatis Religiosis Eleemosynas dare; quia non ipsis, sed superiori competit eorum bonorum administratio.

Palao tr. 16. D. 3. p. 22. n. 3. (Xxx2)

Ex

14.

Ex Rebus verò proprio usui destinatis standum est consuetudini; nam ex hac colligitur expressa, vel tacita superioris voluntas. Quoad Religiosos iter agentes, vel extra claustra in studiis versantes in omnibus Religionibus receptum est, quòd moderatas aliquas Eleemosynas facere possint; id enim & pietati, & Religioni consonum est, ut notat

Palao n. 3. cit. cum Suar. tom. 3. de Relig. lib. 8. c. 15. n. 11. & seqq. ubi

simul advertit, iisdem Religiosis, extra claustra degentibus per consuetudinem permissum esse etiam donationes alias leves in signum gratitudinis pro beneficio recepto, aut debitæ amicitiae intuitu, vel ad conciliandam eorum benevolentiam in favorem Religionis facere. Similiter Procuratori Conventus ex hujus bonis non aliæ permissæ sunt Eleemosynæ, nisi quas facere eidem permittit præscripta illius Religionis consuetudo, & voluntas Superioris præsumpta; alias se gereret non ut Prælati administrator, sed ut Dominus.

Azor. p. 2. lib. 12. c. 10. q. 3. Sanch. lib. 7. moral. c. 19. n. 92. & 94. Suar. c. 15. cit. n. 19. Pal. n. 3. cit.

Sed & Prælati Religionis in Eleemosynis, & aliis donationibus faciendis observare consuetudinem suæ Religionis debet; hæc enim indicat, quid potestatis habeat.

Suar. l. cit. n. 10. & 11. Pal. n. 3.

15. Quod attinet ad bona, quæ non sunt Conventus, nec in usum ipsius Religiosi destinata, sed accepta à sæcularibus, iterum distinguendum est, nam si ea absolute recipiat Religiosus, & dein tradat consanguineis, vel amicis, non solum contra paupertatem, sed etiam contra justitiam sic elargiendo peccabit; cum enim bona talia per acceptationem Religiosi subditi incorporentur Monasterio, hoc modo rebus istius abutetur, & idem est, ac si id, quod hoc modo elargitur, ipsi Monasterio per furtum subduxisset.

Laym. c. 7. cit. n. 16. concl. 1. Palao p. 22. cit. n. 4.

Contrà est, si Religiosus talia bona, sibi à sæculari data, non acceptet absolute, sed donanti manifestet, se donantis nomine donaturum consanguineis, vel aliis; tunc enim non videtur peccare vel contra paupertatem, vel contra justitiam: non contra justitiam; nam eorum distributio fit ex donantis voluntate, quitali casu, usque dum talia bona elargiatur Religiosus, dominus illorum manet: non contra paupertatem; quia hoc casu Religiosus non donat, aut tradit aliquid consanguineis, vel aliis, sed ipso mediante donationem sæcularis præstat.

Sanch. lib. 6. de matrim. D. 4. n. 7. & lib. 7. moral. c. 19. n. 74. Suar. c. 15. cit. n. 16. Pal. n. 4. cit.

Idque verum est, etiam si sæcularis, pecuniam, vel aliud quid Religioso hoc modo tradens, non designaverit, cui, vel quibus illa sit distribuenda, sed Religiosi arbitrio hoc reliquerit; nam hoc casu sola personarum electio Religioso competit, quæ non est contra paupertatem: non autem pecuniæ distributio, quippe quam Religiosus ex sola dantis voluntate facit.

Suar. n. 16. cit. Pal. dict. n. 4.

Difficultas est in casu, quo sæcularis Religioso concedit pecuniam, usum illius non determinando, sed ipsius Religiosi arbitrio relinquit, ut nomine ipsius illam expendat in usum, quem ipse Religiosus elegerit. Suar. l. cit. affirmat hoc casu Religiosum sic accipientem peccatum ad verius paupertatem, nisi acceperit superioris consensus, ex ratione, quia virtualiter accipit potestatem eam in commodum suum expendendi. Palao autem dict. n. 4. dicit, excusari Religiosum hoc casu posse ab hoc peccato, si acceptam pecuniam, superiore non consentiente, in suum usum non expendat, neque eam voluntatem habeat, quando illam acceptat. Dat rationem, quia eo casu solum pecuniam habet in custodiam absque potestate convertendi illam in suum commodum. Neque obstat, quòd sæcularis tradens pecuniam, nomine suo distribuendam, æquè in Religiosi eam accipientis, ac in aliorum usum eandem concesserit; nam esto, sæcularis hoc modo illam concedat, ipse tamen Religiosus, cui illa conceditur, liber est in acceptatione, ac proinde acceptare illam potest, ut eam distribuat vel in aliorum usum absque superioris consensu, vel cum isto in suum commodum.

8. Non potest Religiosus res, ad certum usum sibi concessas, sine superioris facultate applicare alteri usui, quam ad quem, vel quos à superiore hæc ipsi concessa est; quia concessio hæc limitata est, nec ad aliam dispositionem extenditur, atque adeo est usus rei absque licentia.

Rodriq. qq. regul. c. 13. q. 29. art. 10. concl. 4. Sanch. lib. 7. moral. c. 19. n. 68. Suar. tom. 3. de relig. c. 15. n. 8. Pal. p. 22. n. 2. Laym. c. 7. cit. n. 4. §. tertio violat.

Et hinc à peccato mortali, contra votum paupertatis, si materia gravis sit, Religiosus, in Academia degens, excusari non potest, qui pecunias sibi à monasterio concessas ad victum, vestitum, libros Theologicos emendos &c. donando, ludendo, aut libris profanis, & inutilibus emendis absumit. Idem dicendum est de Religiosis iter agentibus, vel alia ex causa extra claustra viventibus; nam si talis Religiosus parcius vivendo non omnes pecunias, pro itinere, victu, vestitu &c. sibi

sibi datas, insumat, non obinde poterit ex sibi subtraētis libros, aut alia emere, eleemosynas facere, alterive usui eas applicare; quia solum pro sustentatione, & necessitatibus ejusdem concessæ sunt.

Palao n. 2. cit.

18. Excipitur, nisi aliud consuetudine Religionis receptum sit; nam plures Religiones Religiosis suis, extra claustra degentibus, determinatam quotam pro cibo, & potu, aliisque necessariis designant, eā lege, ut nihil amplius teneatur Monasterium eis dare, nec ipsi de residuo rationem reddere, sed suo damno, vel incommodo sibi assignata expendant. In his proin Religionibus apertum est, nullum esse peccatum, donare residua, vel illa in alium usum honestum expendere.

Navar. Comment. 2. de regular. & libr. 3. conf. 75. tit. de Regular. aliis de stat. Monach. & Canon. regul. conf. 3. n. 46.

Petr. Navar. lib. 3. de just. tit. 1. dub. 1. n. 158. edit. 2. Molin. tract. 2. de just. D. 276. §. Religiosus in conventu. Sanch. l. 7. moral. c. 19. n. 100. Suar. tom. 3. de relig. lib. 8. c. 15. n. 8. Pal. n. 2. cit.

Spestanda igitur est consuetudo Religionum. Et hinc, ubi à Religione Religiosis pro victu &c. nulla assignatur determinata quota (ut in Societate Jesu) sed, quæ fuerint necessaria, singulis Religiosis conceduntur, nullatenus Religiosus, etiam iteragendo, ea, quæ de sustentatione parcius vivendo sibi subtrahit, in alios usus potest convertere; quia sibi concessorum solummodo usum facti in particulari habet.

Palao n. 2. cit.

19. Non potest Religiosus ex rebus, quæ domi sunt, sine superioris sui consensu aliquid sibi usurpare, cum nihil istorum ipsius sit, sed communitatis, cujus loco superior administrationem habet. Consequenter, si hoc invito quidquam sibi usurpet, ita usurpando furtum committit, & simul peccat contra votum paupertatis utendo tali re absque dependentia à superiore: quod peccatum erit mortale, vel veniale, prout mortale, aut veniale est in ratione furti, cum eadem sit utriusque materia.

Less. l. 2. de just. c. 41. n. 78. §. septimò.

Idque procedit, si sic usurpata sint esculentia, vel poculentia, sive libri, aut alia utensilia: cum discrimine tamen. Nam in esculentis, & poculentis, quæ communiter Religiosorum sustentationi designantur, si illa Religiosus ex bonis Monasterii accipiat, gravior requiritur materia, ut dicatur peccasse mortaliter; prout advertunt

Sanch. l. 7. moral. c. 21. à n. 31. Suar. tom. 3. de Relig. l. 8. c. 11. n. 41.

Layman. l. 5. tract. 5. c. 7. n. 4. §. atque hac ferme. Palao tract. 16. D. 3. p. 21. n. 1.

tum quia superiores in hac parte non sunt æquè inviti, ac circa alia Conventus bona, per Religiosum subrepta, sed respectu hujus instar patrum cum filiis sese habent; tum quia eo usu parcat aliis rebus, quæ à superiore in sui usum, & sustentationem concedendæ erant. Quanti autem hæc comestibilia æstimanda sint, ut occultè accepta censeantur materiam gravem, & peccatum mortale constituerent, juxta Sanch. Suar. Palao l. cit. arbitrio prudentis definiendum est, qui id determinabit ex circumstantiis, rei subreptæ qualitate, & modo accipiendi. nam si modica accipias, etiam si cum animo firmo perseverandi in ea iniqua acceptione,

Sanch. c. 21. cit. n. 31. Pal. p. 21. n. 2.

putant, peccatum mortale non committi, nisi, fortè Religioni gravis damnificatio fiat, aliique Religiosi debita sustentatione priventur. Aliud juxta eundem Palao est, si talia comestibilia simul accipias, ut sic accepta occultè retineas, & paulatim consumas; tunc enim peccares mortaliter, si accepta aurei unius valorem excederent, quippe cum talis acceptio, & retentio gravem deformitatem contineat, & superior circa illam meritò invitatus sit. Quod à fortiori procedit, si res accepta esset pretiosa, neque ad communem usum, sed extraordinarium Religiosorum, vel pro infirmis sit destinata.

Sanch. l. cit. n. 33. Palao n. 2.

Similiter ad peccatum mortale sufficeret minor quantitas comestibilium in casu, quando Religiosus ea non accipit ad usum suum, sed ut illa vendat, vel in externos distribuatur; nam in tali usu, utpote Religioni magis nocivo, superior invitatus est.

Sanch. c. 21. cit. n. 11. Palao n. 2. cit.

Si verò, quæ ex rebus Conventus accipis, non sunt usu præsentaneo consumptibilia, quales sunt libri, imagines, vestes &c. distinguendum est; nam, si ea accipit Religiosus, ut occultè retineat, atque iis, in scio Superiore, utatur, ne ille possit illa ab eo auferre, manifestum est, quòd usus talis mortaliter peccaminosus sit, si per longum tempus e. g. unius anni continuetur.

Suar. tom. 3. de Relig. lib. 8. c. 12. n. 4. & seqq. Palao punct. 21. cit. n. 3.

At si non retineat illa occultè, sed apertè habeat, ita tamen cum aliis, quæ ex Superioris licentia habet, immixta, ut Superior ea vix distinguere, & invenire possit, putat quidem

Azor p. 1. lib. 12. c. 12. q. 3.

(Xxx3)

Re.

20.

Religiosum, talia sic retinentem, non peccaturum mortaliter, si non in perpetuum, sed ad tempus duntaxat illa retinere velit. Palao tamen n. 3. cit. existimat esse peccatum mortale, si retentio ista producat in longum tempus; quia talis retentio absque licentia Superioris ipso facto ita occulta est, ut Superior moraliter loquendo sic retentis non possit uti, nec de illis pro libitu suo disponere. Idem juxta dicta n. 9. dicendum, si Religiosus hujusmodi res, à principio ex voluntate Superioris accipiat, postea tamen, ne Superior eas auferat, ita celet, ut non possit pro libitu illas auferre; nam ita celando proprietarium sese efficit, quippe cum præsumatur velle illas irrevocabiliter possidere, & independentem à Superioris voluntate retinere.

Suar. c. 12. cit. n. 4. & 6. Sanch. l. 7. moral. c. 19. n. 57. Palao n. 3. cit.

21.

10. Non potest Religiosus ab externis sine licentia Superioris quidquam accipere; sicut enim non potest quidquam retinere sine illius consensu, ita neque acquirere.

c. cum ad Monasterium 6. §. unde si quicquam. de stat. Monach. & Canon. Regular.

ibi, unde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur. Concordat

Trid. sess. 25. c. 2. de regular.

ibi, Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscunque qualitatibus fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus (excepto, si alicui Officium Administratoris competat) possidere, vel retinere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Ratio est, quia quidquid Religiosus donatione, Legato, hæreditariâ successionem, vel contractu acquirit, non sibi, sed Ordini Religioso, vel Monasterio acquirit.

Abb. in c. cum ad Monasterium cit. n. 2. Sylv. V. Religio. 6. q. 7. Navar. Comment. 2. de regular. n. 30. Molina tract. 2. de just. D. 140. Less. lib. 2. de just. c. 41. n. 78. & sumitur ex can. Abbates 16. caus. 18. q. 2.

22.

Facienda tamen in hoc puncto est distinctio, an Religiosus ab externis quidquam accipiat, ut sibi illud retineat, & eo, inscio Superiore, utatur, an verò accipiat cum intentione illud Superiori tradendi. Si primum, dubium esse non potest, acceptionem talem, si materia gravis sit, mortaliter peccaminosam esse, ut bene notat

Palao tract. 16. D. 3. p. 21. n. 4.

Et hoc verum est, etiamsi sæcularis, retento talis rei dominio, solum usum illius, sed liberum, & à Superiore independentem in hujusmodi Religiosum transferat,

Azor p. 1. lib. 12. c. 12. q. 2. Less. lib. 2. de just. c. 4. n. 28. Sanch. lib. 7. moral. c. 19. n. 53. Palao n. 4. cit.

Neque ab hoc proprietatis peccato excusatur, quòd sic donata ab externis, sint comestibilia; nam etiam illorum usus est pretio æstimabilis, & voto paupertatis repugnat, si absque Superioris consensu habeatur. Requiritur tamen ad peccatum mortale constituendum in his major quantitas, quàm in pecuniis, aliisque materiis, imò in sic acceptis ab externo desideratur major quantitas, quàm in usurpatis ex rebus Monasterii; nam in illis minùs, quàm in istis Superior invitatus est.

Sanch. c. 19. cit. n. 53. & c. 21. à n. 31. Suar. tom. 3. de Religion. lib. 8. c. 11. n. 41. Palao n. 4. cit.

Si verò secundum contingat, & Religiosus rem accipiat ab externo cum intentione eam Superiori tradendi, sic accipiens raro peccat mortaliter; tum quia Superior frequenter consentit; tum quia ipsi Religioso liberum est, ut rem acceptet, vel repellat, prout ipsi magis placuerit. Quod si tamen Superior esset invitatus, & quantitas, eo renuente accepta, foret gravis, non est dubium, talem acceptionem posse per se constituere peccatum grave; nam, ut notat

Suar. c. 11. cit. n. 32. & Pal. p. 21. n. 5.

ea acceptio, & traditio in Monasterium est actus proprietatis, estque usus rei tanquam propriæ.

Similiter contra votum paupertatis peccaret Religiosus, si pecuniam, ab externo datam, reciperet in vim depositi; esto enim, quòd contractus talis sit nullus, nullamque obligationem imponat Monasterio, velle tamen, quantum ex se est, eam obligationem subire, & jus depositi deponenti concedere, Superiore inconsulto, iniquum est, ut cum aliis notat

Palao punct. 21. n. 6.

aliud est, si Religiosus pecuniam, vel aliud quidvis ab externo acciperet in vim cujusdam puræ, & familiaris custodiæ, ut opportuna occasione ex licentia Superioris libros emat, aliisque suis necessitatibus succurrat; nam, licet talis acceptio sæpe sit contra regulas, & constitutiones Ordinis, quippe cum multum minuat in Deum fiduciam, & non parum derogat paupertatis Religiosæ perfectioni, ac splendori, & propterea non sit admittenda, prout loc. cit. advertit Palao, tamen, ut cum eodem monent

Sanch. lib. 7. moral. c. 19. n. 50. Suar. c. 11. cit. n. 45. Laym. c. 7. cit. n. 4. §. at verò.

talis acceptio à vitio proprietatis excusatur, eò quòd accipiens nec dominium, nec usum, neque administrationem talis pecuniæ acceptet, sed hæc omnia velit esse

se penes deponentem, solo officio Custodis admisso: quod voto paupertatis non videtur esse prohibitum, ut satis indicat Nicolaus III.

in c. exiit 3. §. ad maiorem de V. S. in 6.

ubi de FF. Minoribus, in quorum favorem seculares apud syndicum pecunias deponunt, loquens inquit, ipsos Fratres in tali commendatione pecuniæ non solum à receptione, proprietate, dominio, sive usu ipsius pecuniæ, verum etiam à contractatione qualibet ipsius, & ab ea pecunia penitus esse alienos. Idem autem, ut Sanch. l. cit. notat, est, sive apud te, sive apud tertiam personam custodiæ puræ causâ deponatur, si nolis dominium, usum, aut administrationem acceptare, Superiore in consulto.

24. 11. Non potest Religiosus quidquam expendere in res illicitas, aut vanas: & hoc verum est, etiam si Superior id ei permitteret. Ratio est, quia Superior Religioso suo subdito non potest aliquid contra iura concedere. Jura autem, & Canones prohibent Regularibus quidquam applicari ad res vanas, & illicitas, solumque iis permittunt administrationem bonorum temporalium ad res necessarias, utiles, & honestas. Proinde Religiosus contra votum paupertatis peccat, si quidquam, etiam cum licentia Superioris sui, expendat in turpia, vana, & statum Religiosum indecentia, puta, in vestes sericas, sumptuosa convivia, canes venaticos, equos generosos, picturas profanas, lectisternia pretiosa &c.

Clem. ne in agro Domini l. de stat. Monach. vel Canon. Regul. Less. l. 2. de just. c. 41. n. 78.

25. Eadem ex ratione Religiosus cavere debet, ne habeat superflua, saltem in notabili quantitate, quæ Religiosam mediocritatem notabiliter superant; quia nec Superior potest talia ipsi concedere, cum per Canones prohibitum sit. Idem dicendum de vestibus, & suppellectili pretiosa, ex prohibitione dictæ Clementinæ, ut cum aliis notat

Navarr. Comment. 4. de regular. n. 27.

Si tamen Religiosus talia habens paratus sit omnia ad nutum Superioris relinquere, non est dicendus Proprietarius, ut ex Archidiacono docet

Sylv. V. Religio 6. q. 7. §. quarto, quem citat, & sequitur Less. n. 78. cit. cum aliis.

26. 12. Tenetur præstare eam diligentiam in rebus ipsi concessis conservandis, quam usufructarius, qui precario re alienâ utitur. Unde, cum Usuarius, qui precario utitur, re alienâ, debeat præstare culpam latam.

l. quasitum 8. §. & generaliter 6. ff. de Precar.

etiam Religiosus eam culpam præstare tenetur. Et hinc, si res, ipsi ad usum concessas, per suam negligentiam, & culpam latam amittat, destruat, vel deteriore, peccat contra iustitiam, & consequenter etiam contra votum paupertatis, ut cum communi docent

Less. l. 2. de just. c. 41. n. 78. §. decimò

Sanch. l. 7. moral. c. 19. n. 115. Laym.

lib. 4. tract. 5. c. 7. n. 6. in princ.

Ratio est, quia proprius domini actus est posse rem arbitrato suo destruere, deteriorare, perdere &c. Religiosus autem, cui solus usus facti concessus est, non potest talem domini actum cum proposito formali, vel virtuali exercere sine violatione voti paupertatis, ergo &c. Conf. quia, si dolo rem usui suo concessam destrueret, vel deteriorem redderet, peccaret contra votum. Ergo etiam, si per culpam latam, quippe quæ dolo æquiparatur.

Imò non desunt, qui in casu, quo res aliqua Religioso concessa est etiam in proprium ipsius commodum, velint eum teneri ex culpa levi, à paritate cum Commodatario, qui culpam levem præstare debet in re sibi commodata in utriusque tam commodantis, quam suum commodum.

c. un. de commodat. l. in rebus 18. princ. V. hac ita. ff. eod.

Sed non videtur hoc ita severè in Religioso interpretandum, ut monet Less. l. cit. Proinde Religiosus hoc casu tantum obligari poterit ad culpam latam præstandam. Ex quo sequitur, eundem, si peculium habeat administrationi suæ commissum, ex eo teneri restitutionem facere Monasterio, cui ex tali destructione, amissione, deterioratione, vel quacunque alia alienatione inutilli damnum illatum est, ut notant

Sanch. c. 19. cit. n. 112. Laym. princ. cit.

Ex quo patet, his omnibus hætenus recensitis modis graviter, vel leviter pro ratione quantitatis rei acceptæ, retentæ, expensæ, consumptæ, destructæ &c. violari votum paupertatis, si id fiat absque Superioris licentia, & consensu expresso, vel tacito. Nunc verò

QUÆRITUR III.

Quando talis acceptio, retentio &c. constituat peccatum grave contra votum?

MULTA quidem sunt, quæ huius questionis resolutionem difficilem reddunt. Et quidem imò mutatio circumstantiarum, pro quarum varietatē in certis casibus graviter, vel leviter præsumitur Superior invitus esse, 2. Inæqualis rigor paupertatis,

28.

tis, qui secundum Religionum regulas, Constitutiones, statuta, consuetudinem in quibusdam major, in aliis minor est. 3. Dissensio DD. quorum aliqui magis, alii minus rigidi sunt in assignanda quantitate materiae, sufficientis ad constituendum peccatum mortale contra votum paupertatis. Hoc certum est, quod violatio huius voti sit peccatum ex genere suo mortale, ita tamen, ut in ea detur materiae parvitas, & propter hanc peccetur venialiter tantum.

29. Communis inter DD. sententia est, quantitatem illam, quae sufficiens est ad peccatum mortale furti, etiam sufficientem esse ad constituendum peccatum mortale contra paupertatem Religiosam. Ita nominatim Navar. Cordub. Graff. Rebell. Azor, quos citat, & sequitur

Sanchez. lib. 7. moral. c. 19. n. 3. Lug. D. 3. n. 170. Illung tract. 4. D. 2. n. 212. & ex parte Suar. tom. 3. de Relig. l. 8. c. 6. n. 8. Palao tract. 16. D. 3. p. 20. n. 2.

Ratio est, quia obligatio Religiosae paupertatis juxta voluntatem ipsorum votum imitatur naturam obligationis iustitiae. Ergo quantitas, quae respectu iustitiae gravis est, recte assignatur pro mensura, & regula quantitatis gravis respectu paupertatis Religiosae.

30. Verum haec Regula nudè spectata non absolvit difficultatem, quae in quaestione praesenti vertitur; cum enim à multis DD. in materia furti non determinetur quantitas aliqua absoluta, sed respectiva personae, cui sit furtum, & personae, quae furtum committit, iidem DD. admissa hac regula, in assignanda quantitate, quae sufficiat ad peccatum mortale contra votum paupertatis, in diversas sententias abeunt.

31. Aliqui apud Lug. D. 3. n. 127. putant, attendi debere divitias Monasterii. Sed hoc non videtur sustineri posse; sequeretur enim, quod Religiosis etiam ejusdem Ordinis non sit determinatus rigor paupertatis per se loquendo, sed paupertatem eò esse laxiorem, quo unum Monasterium, vel Collegium est ditius altero, & eò ipso, quod fortan pinguis haereditas Monasterio cuidam obveniat, jam etiam paupertati in tali Monasterio laxiores habenas permitti. Neque obstat, quod ad contrahendum peccatum mortale furti plerique DD. requirant graviorem materiam, si illud fiat diviti, quam si pauperi, aut mediocrium fortunarum homini; nam peccatum iniustitiae, quod per furtum committitur, secundum probabilem sententiam mensuratur ex damno, alteri illato in bonis fortunae, quod damnum levius est respectu divitis, quam respectu pauperis: contra verò peccatum contra paupertatem Religiosam mensuratur ex damno discipli-

nae, seu observantiae Religiosae, quod non est levius, etiam si Domus Religiosa sit dives. Proinde in peccato contra paupertatem non potest attendi ad divitias majores, vel minores Monasterii, sicut ad majores, vel minores facultates personae laxae attendi debet in taxanda quantitate peccati contra iustitiam per furtum commissi.

Suar. tom. 3. de Relig. lib. 8. c. 6. n. 8. quem citat, & sequitur Illung D. 2. cit. n. 219.

Alii, teste Rebell. p. 1. lib. 2. q. 15. n. 22. dicunt, ipsum Religiosum habendum pro filio, respectu cuius, ut damnaripotest de peccato furti gravis, facti ab ipso in rebus Parentum suorum, major requiritur quantitas, quam respectu extranei. Sed, praeterquam, quod contra hanc opinionem pugnet eadem ratio, quae contra priorem, insuper magna est disparitas inter filium naturalem, & Religiosum, tanquam filium spiritualem. Nam bona patris communiter erunt bona filii, & sic pater rationabiliter est minus invitus: bona autem communitatis Religiosae nunquam sunt futura Religiosi particularis; & ideo Superior non habet eandem, quam pater, rationem allicientem ad consensum, sed potius absterrentem, ne consentiat, nempe damnum Religiosae disciplinae, & ipsorum bonorum temporalium. Deinde, etiam si Religiosus in hoc puncto consideraretur ut filius, hoc tamen parum eidem prodesset; nam etiam reliqui Religiosi ejusdem Monasterii considerari deberent, ut fratres ipsius. Proinde respectu illorum, si v. g. illi essent numero 20. proportionaliter tantum deberet decrescere licentia, quantum decresceret, si idem pater naturalis haberet 20. filios.

Illung D. 2. cit. n. 220.

Itaque tertia, & verior sententia est, quae cum

Sanch. lib. 7. moral. c. 19. n. 5. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 8. c. 6. n. 8. Palao tract. 16. D. 3. p. 20. n. 2. Illung D. 2. cit. n. 221. & aliis communiter

docet, gravitatem, vel levitatem peccati contra paupertatem Religiosam desumendam esse ex materia furti, spectatam sine consideratione ad personas extraordinarie divites, vel pauperes, aliasque circumstantias, ita, ut respectu voti paupertatis illa materia gravis sit, & grave peccatum constituat, quae ex se respectu furti gravis esset, illa verò sit levis, & peccatum veniale constituat, quae ratione furti ex se levis esset, culpamque venialem non excederet. In quo sensu in monitis nostris generalibus bene statuitur regula Generalis per verba, intelligant omnes, eam quantitatem, quae sublata satis esset ad constituendum peccatum mortale contra septimum praeceptum, sufficere, ut peccasse adversus votum paupertatis judi-

judicetur, si quis è nostris rem, ut propriam, vel usurpet, vel alienet absque Superioris facultate.

34. Dixi autem, gravitatem, vel levitatem peccati contra paupertatem desumendam esse ex materia furti secundum se, & seclusis circumstantiis personæ, cui furtum fit. Nam certum est, quod sæpe ob damnum grave, quod inde sequitur, peccatum grave contra justitiam committat is, qui homini pauperi furripit unum, vel duos argenteos; contra verò spectatò duntaxat damno, quod læsus patitur, leve peccatum in ratione injustitiæ esse possit, si quis Regi, vel homini ditissimo furto auferret duos, vel tres florenos: id, quod in materia voti paupertatis juxta num. 4. & 5. non procedit. Non igitur ex diversitate circumstantiarum, puta, facultatum, & personæ, cui furtum fit, vel quæ illud facit, gravitas, vel levitas peccati contra paupertatem desumenda est, sed ex materia, quæ, seclusis his circumstantiis, si furto furriperetur, gravis esset. Talis autem per ea, quæ docent

Suar. c. 6. cit. n. 7. Pal. p. 20, cit. n. 2.

Illsung dict. n. 221. & alii

cenferi debet, quæ furto sublata graviter conducit ad actiones humanas, & hominum necessitates sublevandas, seu quæ esset gravis respectu personæ læsæ mediocriter divitis. Proinde hujusmodi quantitas absque facultate Superioris accepta, retenta, vel expensa constituit peccatum grave contra paupertatem. Putant autem aliqui apud Suarez n. 7. cit. infra aureum non esse censendam materiam graviter supra dicto fini conducere. Consequenter juxta eosdem non peccabit mortaliter contra votum Religiosus, si infra aureum quid de bonis Monasterii furripiat vel ab externis sine licentia Superioris acceptet, quod tamen juxta eundem Suar. n. 8. nullo modo videtur admittendum, eò quod sit contra commune judicium rectè sentientium de paupertate, aperireturque janua, & nimia daretur licentia Religiosis ad violandam paupertatem. Est autem, ut bene Illsung n. 221. monet, in ordine ad violationem paupertatis perinde, si Religioni ipsi ex illicita acceptione rei eveniat damnum aliquod, vel non; sufficit enim, actionem esse talem, ut de se apta sit in tali quantitate grave damnum inferre, seu graviter justitiam lædere, quippe cui proportionatur obligatio paupertatis: alioquin, si solum damnum fortunarum Monasterii considerari deberet, posset Religiosus sine licentia Prælati sui ab externis accipere quidlibet.

35. Ad declarandam autem adhuc magis materiam istam, notandum imò citius, & in minori quantitate peccari graviter posse contra paupertatem rem consumendo, alienando, vel destruendo, quàm sine licentia præcisè usurpando, vel alteri ejus-

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

dem Conventus Religioso concedendo, nam, ut bene advertit Illsung n. 221. consumptio, alienatio, destructio rei in minori quantitate gravius potest damnum inferre, quàm in majori quantitate nuda usurpatio ad tempus non nimis longum, quo elapso, res usurpata iterum restituitur integra, & incorrupta: & hinc contra consumptionem, alienationem, destructionem rei in minori quantitate Superior sæpe gravius est invitus, quàm in usurpatione ejusdem, si ista non continetur ad longum tempus, & hoc elapso restituatur integra.

36. 2. In consumptione esculentorum, & poculentorum, ut per illam peccetur mortaliter contra paupertatem, majorem concedendam esse quantitatem, quàm in rebus ad alium usum servientibus; nam etiam major in hujusmodi rebus requiritur valoris quantitas, donec per furtum peccetur graviter contra justitiam. Neque in ordine ad hoc peccatum per se loquendo multum videtur conducere discrimen, utrum res talis accepta sit ex domo Religiosa, vel ab externis; vel enim ab his absolute datur, vel ad usum duntaxat ab ipsis revocabilem, quin velint sic data transire in dominium Monasterii. Si enim primum fiat, cum absolute accepta à Religioso statim transiant in dominium Monasterii, idem est, ac si Religiosus, ea sine facultate consumens, consumpsisset bona ipsius Monasterii; si autem secundum, non peccat quidem contra justitiam, utpote utendo re cum consensu domini, violat autem paupertatem.

Laym. l. 5. tract. 5. c. 7. n. 4. Illsung D. 2. n. 222. videantur, quæ dixi supra num. 19.

37. 3. Sicut obligatio justitiæ, & paupertatis Religiosæ eadem mensurâ utuntur quoad gravitatem materiæ, per eundem actum acceptæ, sic per se loquendo eadem mensurâ videntur uti respectu materiæ diversis actibus acceptæ, ita, ut pro diversis casibus coalescant, vel non coalescant in unum peccatum grave contra paupertatem, prout coalescunt, vel non coalescunt furto successivè sublata in unum peccatum grave contra justitiam, ut bene advertit,

Illsung l. cit. n. 223.

Coalescunt in unum peccatum grave imò quando ejusmodi violationes leves procedunt ex intentione perveniendi ad summam respectu justitiæ sufficientem ad peccatum mortale. 2. Quando Religioni, vel alteri extraneo afferunt damnum contra justitiam grave, ac involuntarium in ratione damni. 3. Quando ipsi transgressori paupertatis, quia successivè collecta simul detinet, generant lucrum æquale materiæ, sufficienti ad gravem injuriam. Seclusis his casibus, per ea, quæ idem Illsung l. cit. ex

(Yyy)

Card.

Card. de Lug. *D. 3. à n. 180.*
 notat, ejusmodi res leves, per plures transgressiones acceptæ, probabiliter non coalescunt in unum, nec prohibentur à Superiore per modum unius sub peccato graviter opposito Religiosæ paupertati. Et hinc, ut idem Eminentissimus author infert, Religiosum non peccaturum mortaliter, si res leves, ad certum usum sibi concessas, sæpius expendat in alium usum, eas alteri domestico concedat, vel ab extraneis offerentibus accipiat, quæ alias Monasterio data non fuissent, aut ex domo Religiosa necessarias, & petenti facile permittendas sine obtentâ facultate usurpet. Ratio est, quia, seclusis tribus casibus suprâ relatis, Prælatus per se loquendo, non habet amplius specialem causam posteriores violationes paupertatis ideo prohibendi, quia per eas ex parte objecti completur collectio rerum levium graviter æstimabilis; sed sufficit, si absque comparatione ad præcedentes transgressiones singulas absolute prohibeat. Quod ex praxi confirmatur; quia nec Prælati solent graviter punire leves acceptiones, sine temporalis detrimento gravi frequentatas, nec Confessarii quoad has conscientiam injicere.

38. Porro quænam determinatè quantitas materiæ sufficiat ad constituendum peccatum mortale contra paupertatem Religiosam, ut *num. 28.* dixi, non conveniunt inter se DD.

Palao *tract. 16. D. 3. punct. 20. n. 2.* allegans Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 8. c. 6. n. 9.*

docet materiam gravem contra votum paupertatis censendam, quæ attingit valorem trium, vel quatuor argenteorum, & hinc graviter peccaturum Religiosum contra hoc votum, si ille de re tanti valoris, invito Superiore, disponat; vult enim, gravitatem, vel levitatem peccati contra paupertatem desumendam esse ex voto Eleemosynæ, illamque materiam gravem, vel levem esse, cujus omissio in voto Eleemosynæ gravis, vel levis esset. in voto autem Eleemosynæ dicit, quatuor argenteos esse materiam gravem, peccaturumque mortaliter, qui voto promissos tres, vel quatuor argenteos, erogandos in pauperes, erogare omittit, ob notabilem diminutionem Cultûs Divini, tametî fortè, si illi subducerentur furto, non constituerent peccatum grave contra iustitiam, ergo &c. Alii ampliorem admittunt materiam, ut censetur aliquis peccasse graviter contra paupertatem, quorum non pauci ampliunt istam usque ad aureum, sumptû nempe in valore antiquo, scilicet trium florenorû. Non puto autem, ullum Doctorem inventum iri, qui id ampliet ad tres aureos. In praxi considerandus quoad hoc erit singularum Religiosum in paupertate rigor, & secundum hunc

determinanda quantitas leve, aut grave peccatum in materia paupertatis constituens.

QUÆRITUR IV.

Quæ licentia Superioris excuset subditum à paupertatis transgressione?

RESP. 1. licentia hæc debet esse voluntaria Superiori, eandem danti; nam, si metu, coactione, dolo, vel fraude extorqueatur, non excusat.

Suar. *rom. 3. de Relig. l. 8. c. 11. n. 14.*
 Sanch. *l. 7. moral. c. 19. n. 16.* Palao *tract. 16. D. 3. p. 23. n. 1.*

Ratio est, quia fraus, & dolus talem licentiam ob-vel subreptitiam, consequenter involuntariam facit; metus autem, licet eam relinquat in ratione voluntarii, cum voluntarium non tollat, injuriam tamen infert metum passo, à qua metum inferens in conscientia tenetur cessare; consequenter tenetur ea facultate non uti, ne ipse injuriam, Superiori illatam continuet. Hinc in conscientia tutus non est, qui dum licentiam petit à Superiore, ea tacet, quibus expressis licentia non solet dari, vel ea falsò exprimit, quibus non expressis eadem licentia negaretur; quia istam extorquet fraude, & dolo.

Suar. Sanch. Palao *l. cit.*

Secus dicendum, si ea taceat, aut falsò exprimat, quibus tacitis, vel non expressis, adhuc licentia daretur, darique solet, tametî difficilîus, ut iidem DD. notant.

2. Debet esse iusta, seu talis, quam Superior possit concedere. Hinc nulla est licentia imò si ex Prælati licentia, & voluntate furripias aliena, & de illis disponas; Prælatus enim non habet potestatem disponendi de rebus alienis, invitis istarum dominis, ergo nec dare ad hoc licentiam potest.

Navarr. *Comment. 2. de Regular. n. 21.*
 Petr. Navarr. *lib. 3. de restit. c. 1. p. 3. dub. 1. n. 168.* Sanch. *c. 19. cit. n. 21.* Pal. *p. 23. cit. n. 11.* contra Suar. *c. 11. cit. n. 15.*

Similiter 2. nulla est licentia, concessa à Prælato ad pecuniam, vel alias res expendendas in usus turpes, vanos, superfluos; & sic, non obstante hac licentiâ, Religiosus, res hujusmodi in dictos usus expendens, à vitio proprietatis, & peccato contra paupertatem non excusatur.

Navar. *lib. 3. c. 3. de regular.* Sanch. *lib. 7. moral. c. 19. n. 23.* Palao *tract. 16. D. 3. p. 23. n. 4.* Less. *lib. 2. de just. c. 41. n. 78. §. non d.*

Ratio est, quia Prælato, utpote non Domino, sed Dispensatori, & Administratori bonorum

rum Monasterii non permiffum est illa diftribuire in quemcunque ufum, fed in ufum honeftum, pium, & Religioni congruum, igitur neque Religiofo fibi fubdito dare ejusmodi poteflatem poteft. Imò 3. is, qui à Religiofo pecunias accipit, in ufus turpes, vanos, & fuperfluos expenfas, per fe obligatus eft Monasterio illas reftituere; quia accepit illas ab eo, qui eas dare non poterat, & contra voluntatem Religionis, quæ illarum eft domina

Sylv. V. Religio 6. q. 7. Petr. Navar. de reftit. lib. 3. c. 1. dub. 3. n. 138. Molin. tom. 1. de juft. D. 140. §. fi aliquid. & tom. 2. D. 276. Sanch. l. 7. moral. c. 19. n. 30. Laym. l. 4. tract. 5. c. 7. n. 4. Palao p. 23. cit. n. 14.

41. 3. Licentia hæc poteft effe vel expreffa, vel tacita, vel præfumpta. Expreflam, fi data fit à Præfato ad ufus neceffarios, honeftos, aut utiles, certum eft fufficere. Tacita, & præfumpta fufficit præcipue in fequentibus cafibus. 1. Quando id, de cuius licentia agitur, in expreffo contentum, aut cum eo connexum, vel ipfi accessorium eft: qualis eft, fi Superior Religiofo fubdito dat licentiam peregrinandi, nec prohibet aliquid accipere, & accepta expendere.

Suar. c. 11. cit. n. 7. Pal. p. 23. cit. n. 7.

nam eo ipfo ad fic data acceptanda, & expendenda conceffiffe cenfetur licentiam. 2. Quando Superior commodè adiri non poteft, & urget occasio acceptandi, retinendi, vel expendendi.

Suar. l. cit. n. 3. Less. c. 41. cit. n. 79. Pal. p. 23. n. 6.

Ratio eft, quia ex benigna interpretatione voti paupertatis præfumi debet illud non extendi ad cafum, quo expreffa licentia eft moraliter impoffibilis. Ut tamen eo cafu Religiofus rem acceptam tutà confcientiâ retinere poffit, ut rectè notat

P. Wiefner ad tit. de ftat. Monach. & Canon. regul. n. 35.

debet acceptionem talis rei manifeftare Superiori; quia licentia fic præfumpta tantum vim habet pro re accipienda, non autem, fi poftea adiri Superior poffit, pro illa retinenda. 3. Quando confuetudine alicujus Religionis ita receptum eft, ut Religiofi fubditi fine expreffa licentia Superioris fui poffint aliquid recipere, retinere, vel expendere, & Superior hanc confuetudinem non revocat, cum poffit.

Suar. c. 11. cit. n. 7. Sanch. c. 19. cit. n. 7. Laym. c. 7. cit. n. 4. Palao p. 23. cit. n. 4.

nam, quando non revocat talem confuetudinem Superior, ea omnia approbare cenfetur, quæ, & quomodo per confuetudinem introductam permittuntur. 4. Si Superiore confcio, & non contradicente, cum facile poffet, Religiofus fubditus ali-

R. P. Schmalzgrueber Confilia

quid recipiat, retineat, ufurpet, expendat; quia in ea difsimulatione virtualiter continetur quædam approbativa voluntas.

can. error 3. & can. confentire 5. dift. 83. Laym. n. 4. cit.

Secus eft, fi Superior folùm taceat, & non contradicat ex verecundia folùm, aut metu querelarum, vel aliorum incommodorum; nam ita tacens non tam confentire, quàm ejusmodi liberam acceptionem &c. tanquam minus malum tolerare intelligitur.

Navar. conf. 2. de regular. n. 22. Mendoz. Quodl. q. 8. concl. 7. Rodriq. 99. Reg. tit. 3. q. 29. art. 11. Sanch. c. 19. cit. n. 12. Suar. c. 11. n. 8. Pal. p. 23. n. 7.

QUÆRITUR V.

An licentia præfumpta fufficiat etiam cafu, quo Superior adiri poteft, non tamen aditur ob refpectum aliquem humanum, pudorem, vel aliam fimilem difficultatem?

Ratio dubitandi eft, quia licentia, quæ folùm præfuitur, defacto non extat, fed folùm creditur futura. Atqui confenfus, qui folùm creditur futurus, facultatem de præfenti dare non poteft, aut efficere, ut nomine Superioris difponat fubditus. ergo &c.

Sed dicendum, eo cafu fine vitio proprietatis, & violatione voti paupertatis rem temporalem accipi, retineri, expendi poffe à Religiofo, modò præfumere poffit, Superiorem non effe abfolutè invitum, licet ipfe modus aliquo modo difplicet. Ita

S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. ad 1. Sylv. V. Eleemofyna. n. 6. Navar. comment. 2. de regul. n. 20. Petr. Navar. de reftit. lib. 3. c. 1. p. 3. dub. 1. n. 160. Azor p. 1. lib. 12. c. 12. q. 2. 3. & 4. Valent. 2. D. 10. q. 4. p. 3. poft init. Sanch. c. 19. cit. n. 4. Suar. c. 11. n. 4. Less. c. 41. n. 79. §. crediderim. Laym. c. 7. n. 4. §. fufficit. Pal. p. 23. n. 8. & alii communiter.

Ratio eft, quia votum paupertatis non violatur acceptione, quæ non fit nomine proprio fed cum dependentia, & fubordinatione ad voluntatem Superioris. atqui cum tali dependentia jam agit, qui fibi perfuadet, Superiorem, fi rogaretur, facile confensurum, & quoad ipfam rem, ipfamque ejus acceptionem abfolutè non effe invitum, licet illius modus aliquo modo eidem difplicet. ergo &c. Conf. 1. quia talis præfumptio de voluntate domini fufficit ad excufandum furtum

l. inter omnes 46. §. rectè 7. ff. de furt.

igitur multò magis fufficiet ad excufandum à vitio proprietatis. Conf. 2. quia eadem

(Yyy 2)

eadem licentia præsumpta sufficit Religioso ad Eleemosynam dandam de rebus Monasterii, igitur etiam sufficiet ad aliquid accipiendum, & Monasterio acquirendum.

43.

Qualis autem cognitio voluntatis hujus futuræ desideretur, an certa, an probabilis sufficiat, variant DD. Plures affirmant, requiri certam; aliàs erit periculum operandi absque ulla licentia, & contra Superioris voluntatem. Ita

Molin. *tract. 2. de just. D. 276. circa fin.*
Petr. Ledesm. *tom. 2. Summ. tract. 8. c. 21. diffic. 7.*

Verius tamen est, probabilem cognitionem sufficere, quia sic operans moraliter certus est de voluntate Superioris, neque periculo morali operandi sine licentia ejusdem exponitur, licet physico exponatur. Ita

Navar. *comment. 2. de regul. n. 20. Mendoz. quodl. 8. concl. 8. Less. c. 41. n. 79. y. crediderim. Sanch. c. 19. n. 13. fin. Suar. c. 11. n. 11. Pal. p. 23. n. 8.*

Interim per talem acceptionem, & bonorum dispositionem, si hæc fiat ex licentia præsumpta Superioris, & hic commodè adiri possit, ferè semper peccatum veniale committitur; quia Superior hanc clandestinam, & furtivam receptionem, & dispositionem, utpote observantiæ Religiosæ, & paupertatis puritati satis adversam, meritò ægre fert. Sed quia hæc contradictio solum est de modo clandestino, & furtivo, non de ipsa receptione, & dispositione, culpam venialem non excedit, prout *loc. cit.* advertunt

Nav. Less. Sanch. Suar. Laym. Pal. &c.

44.

Aliud est in casu, quando Superior quidem sine difficultate licentiam daturus esset, si peteretur, rationabiliter tamen existimaretur, quod eam nolit concedere, nisi actu petatur; tunc enim extra casum, quo Superior præsto non est, & res urget, non adest consensus præsumptus, nec excusatur Religiosus à violatione paupertatis circa ipsam substantiam; alioquin, ut bene cum aliis notat

Less. *l. cit.*

omnes ferè donationes, acceptiones, & usus, qui à Superioribus concedi petentibus solent, in Religione absque expressa venia essent liciti: quod esset evertere obedientiam regularem. Ratio est, quia non eo ipso cessat vinculum legis, quod Superior dispensaret, si peterem; per hoc enim non dispensat re ipsa: nec ideo rem aliquam retinere possem, quia dominus illam donaret, si rogarem; nam per hoc non donat re ipsa. Proinde ad licitè utendum licentiæ præsumptæ non solum requiritur, ut Superior licentiam concederet, si subditus illam peteret, sed etiam, ut re ipsa censetur

tur concedere, quamvis non petas, & ut ipse in talibus circumstantiis eundem non obliget ad illam petendam, eo ferè modo, quo ad hoc, ut vinculum legis per Epikiam cesset, requiritur, ut legislator tali casu non intendat subditum obligare vel ad agendum secundum legem, vel ad petendam dispensationem. Solum ergo talis præsumpta licentia locum habet, quando subditus Religiosus scit, vel bona fide putat, eum Superioris erga se affectum esse, ut libenter esset concessurus, si sciret ipsum taliter egere, vel tale quid desiderare; tunc enim censetur habere ex voluntate Superioris, saltem virtuali, quæ in illo affectu latet.

QUÆRITUR VI.

An sufficiat licentia debita, sed petenti negata?

Affirmat Mendoz. *quodl. 9. in fin.* rationem dat; quia Superior tali casu facultatem negans non fungitur suo officio, ejusque indiscreta voluntas nulla est; & subditus, sicut ad obedientiam tantum rationabilem, sic etiam ad observantiam paupertatis rationi consentaneam se obligasse censetur.

Sed, præterquam, quod non facile præsumendum sit de Superiore, quod licentiam irrationabiliter neget, vel negaturus sit, cum pluribus rationibus, subdito occultis, moveri possit, quæ negationem licentiæ cohonestent: concessio tamen casu, quod Superior Religioso suo subdito præter morem aliorum Prælatorum ejusdem Ordinis indiscretè neget vel negaturus credatur licentiam ad accipiendam, retinendam, vel expendendam rem, quæ talis est, ut illam accipiendi &c. licentiam deberet concedere, malè tamen inferitur, quod iste adversus paupertatis votum possit procedere, sicut malè inferitur, eum, qui voto castitatis obstrictus est, posse uxorem ducere, dispensatione non obtentâ, quando hæc eidem imprudenter, & præter consuetum negatur. Quare cum

Palao *tract. 16. D. 3. p. 23. n. 10.*

Distinguendum est, an licentia sit debita ex parte Prælati tantum, an etiam ex parte subditi, eò quod iste à Religione, aut ab ipso jure naturæ jus habeat, ut res, quam petit, eidem concedatur. Si hoc secundum, ut votum non violetur, sufficit licentia præsumpta à Superiore, quam dare deberet, si rationabiliter ageret, etsi iste hic & nunc imprudenter eandem neget. Et ob hanc causam, si Prælati subdito suo regulari neget necessaria ad victum, & vestitum juxta morem receptum Religionis, potest iste hæc ab externis accipere, etsi Prælati ad sic

fic accipiendum neget licentiam; quia ad illa jus à Religione habet, quod Prælarus non potest tollere, cum obligare subditum ad paupertatem strictiorem, quam sit ea, quam promittit, nequeat. Item, si sublevanda sit inopia extreme indigentis, & aliunde ista sublevare nequeat, quam ex bonis Monasterii in casu, quo istud à Superiore denegatur, potest subditus, aliâ licentiâ non obtentâ, in ea necessitate indigenti succurrere; quia ad hoc ab ipsa natura jus, imò obligationem habet.

47. Aliud dicendum, si primum contingat, & licentiâ sit tantum debita ex parte Prælati, & hæc ab ipso negetur; nam eo casu Religiosus, absque alia licentiâ accipiens, retinens, vel dispensans, à voti transgressionem non excusatur. Ratio est, quia votum Paupertatis violat, qui nomine proprio, & sine submissione, ac dependentia à voluntate Superioris aliquid accipit, retinet, dispensat. hoc autem fieret, si Religiosus ageret contra voluntatem superioris, etiam irrationabilem. ergo &c. Conf. 1. quia etiam obedientia violatur, quando Superiori, irrationabiliter imperanti id, quod sine peccato facere potest subditus non obtemperat. 2. Quia hoc modo observantia paupertatis, & disciplinæ regularis facile in discrimen adduceretur; nam subditi, ad laxitatem prona, facile sibi persuadent, indifferetè, & irrationabiliter negari, quæ secundum regulæ accuratorem à Superiore laudabili zelo non indulgentur. 3. Quia videtur in hoc casu esse paritas cum pauperibus, qui si non extremâ, sed gravi duntaxat necessitate laborent, non possunt divitiis sine peccato auferre aliquid, licet hoc illi eisdem irrationabiliter, & per sorditum negent.

48. Præter licentiâ particularem est & alia Generalis, quæ & ipsa, si legitima sit, sufficit, ne Religiosus, si per hanc aliquid det, accipiat, retineat, vel usurpet, contra votum paupertatis peccet. Quoad quas res autem, & quousque in singulis Ordinibus Religiosis, & Monasteriis hæc licentiâ Generalis concessa censeatur, horum statuta, constitutiones, & consuetudines consideranda sunt. In Monasteriis tamen bene ordinatis non conceditur hæc facultas passim omnibus, nisi in rebus minoris momenti, & crebro occurrentibus.

Less. l. 2. de just. c. 41. n. 79.

QUÆRITUR VII.

Quenam pœna imposita sint violentibus paupertatem?

49. Resp. jure Canonico tres tantum pœnæ reperiuntur statuta. 1. Peccans contra votum paupertatis, si fuerit convictus decessisse retinendo rem tanquam propriam,

privatur sepulturâ Ecclesiasticâ, & corpus demortui cum pecuniâ abjicitur in sterquilinum.

c. Monachi 2. & c. cum ad Monasterium 6. de stat. Monach. & Canonic. regul.

Quodsi verò in loco sacro Religiosus propriarius sepultus sit, extrahi inde debet, si absque scandalo hoc fieri possit.

c. super quodam 4. tit. eod.

Quod spectat ad pecuniam, quam Religiosus Proprietarius penes se absque licentiâ Superioris retinuit, illa quidem tota, considerato rigore juris, & exemplo S. Gregorii l. 4. Dialog. c. 55. simul cum illo sepelienda esset. At ex æquitate, & benignitate pars quælibet sufficit arbitrio judicis, reliquis in usus utiles reservatis; quia etiam per partem abundè perditio Proprietarii significatur.

Abb. ad c. cum ad Monasterium cit. n. 15. Joan. Andr. ibid. n. 4. Greg. Lop. lib. 14. n. 3. tom. 7. art. 1. Sanchez l. 7. moral. c. 20. n. 11. Laym. lib. 4. tract. 5. c. 7. n. 22. Palao tract. 16. D. 3. p. 24. n. 1.

2da Pœna est expulsio Proprietarii ex Conventu.

c. ad Monasterium cit.

at hæc pœna correctâ est, ne Religiosis detur occasio ad vagandum: & loco illius Religiosi Proprietarii detruduntur in carcerem, ibique pro qualitate culpæ plekti debent.

c. fin. de Regular. Abb. l. cit. n. 13. Sanch. & Laym. l. cit. Pal. dict. p. 24. n. 2.

3tio. Privatur voce activâ, & passivâ per biennium, aliisque pœnis juxta Religionis constitutiones plektitur. Ita statutum est per

Trid. Sess. 25. c. 2. de Regular.

Porro circa has pœnas duo sunt animadvertenda. 1. eas non incurri ante sententiam judicis: quod de privatione Sepulturæ Ecclesiasticæ, & reclusionem in carcerem clarum est. De privatione vocis activæ, & passivæ satis indicant verba illa *Deprehensus convictusque fuerit*, quæ actionem judicis sonant.

Sanch. c. 20. cit. n. 14. Pal. l. cit. n. 4.

2. Eas pœnas statutas esse non cuicunque vitio proprietatis, sed solum retentioni: & hinc, etsi Religiosus convinceretur accepisse sine licentiâ, vel acceptum expendisse, nisi tamen convictus fuerit retinere, prædictæ pœnæ non subjacet.

Sanch. n. 13. Laym. c. 7. in fin. Pal. n. 4.

Responsio ad dubium num. 1. propositum.

DICENDUM, doctrinam, in hoc num. relatam, quoad proximam, & forum

(Yyy 3)

50.

51.

52.

rum internum omni carere probabilitatis specie. Nam imò ut dictum est *ad quaestionem 1^{am}* potest Religiosus peccare graviter contra paupertatem, quin peccet graviter contra iustitiam in puncto furti: ex ratione, quia, ut dictum est *ad quaestionem 2^{dam}*. 2^{do} contra votum paupertatis peccat, qui re aliquà tanquam proprià utitur; quod fit, quando rem aliquam seu domi suæ, seu foris, sine Superioris sui licentia expressâ, tacita, vel præsumptâ, accipit, retinet, absmit, donat alteri, destruit &c. Et quidem hoc peccatum grave, vel leve est pro quantitate materiæ. Porro 3. per dicta *ad quaestionem 3^{iam}* licet communis sententia DD. sit, quantitatem illam, quæ sufficiens est ad peccatum mortale furti, etiam sufficientem esse ad constituendum peccatum mortale contra paupertatem Religiosam, hæc tamen regula non debet nudè spectari; nam, ut dictum est *n. 30. & duobus seqq.* in materia furti, plerique DD. admittunt quantitatem respectivam, ita, ut ad constituendum peccatum grave in ratione furti major requiratur in divite, quàm in paupere, in filio quàm in extraneo &c. non tamen hoc discrimen procedit quoad mensurandam gravitatem peccati contra paupertatem Religiosam, quippe in qua per ea, quæ dicta sunt *num. 33. & 34.* 4. gravitas, vel levitas peccati desumi debet ex materia furti, in quantum illa, sine respectu ad personas, secundum se gravis, vel levis esset. Pro gravi autem secundum se materia censeri debet, quæ furto sublata, graviter conduceret ad actiones humanas, & hominum necessitates sublevandas. In quo

5. multum interest, an Religiosus solum utatur re aliqua absque licentia Superioris, quam deinde post usum restituet integram; item an, quæ sine licentia accipit, sint esculenta, & poculenta; & denique, an simul rem aliquam accipiat in quantitate, an verò successivè per plures transgressionem leves: Nam per dicta *num. 35. & duobus seqq.* major requiritur quantitas in usu duntaxat rei, salvâ substantiâ, quàm in consumptione; item in poculentis, & esculentis, quàm in aliis rebus ad alium usum servientibus; nec minus in pluribus acceptionibus levibus, quàm in una gravi simul acceptâ, vel retentâ sine licentia. 6. Quoad res esculentas, & poculentas communis DD. sententia determinationem quantitatis, sufficientis ad constituendum peccatum grave contra paupertatem, relinquunt arbitrio prudentum, regulando ex qualitate rerum, aliisque circumstantiis. In aliis rebus per ea, quæ dicta sunt *num. 38.* quidam eam definiunt ad valorem trium, vel quatuor argenteorum. Qui benignissimi sunt, eandem ampliant ad unum aureum; neminem autem inveni, qui doceat, valorem trium aureorum etiam in Monasterio ditissimo, constituere materiam levem quoad violationem paupertatis. Atque ideo opinio, ita laxans paupertatem, videtur neutiquam tolerari posse, ipsæque Arbogastus condemnandus erit de violata graviter paupertate, etiam si longeminorem summam elepsisset, quippe cum nullus Superior, etiam in locupletissimo Monasterio, præsumatur non esse graviter invitus. Ita salvo meliore &c.

CONSILIUM LXI.

In causa locationis conductionis rei Ecclesiasticæ.

SUMMARIUM.

1. Facti species.

2. Res immobiles Ecclesia non permittuntur locari absque solennitate ad longum tempus.

3. 4. Excipiuntur res modica, Ecclesia parùm utiliter.

5. 6. Deciditur posse in substrato casu fieri locationem absque solennitate.

FACTI SPECIES.

I.



Abet Monasterium S. Juliani quandam Cauponam, à multis jam annis erectam, quæ jus quidem vendendi vinum, cerevisiam praxandi &c. nullo tamen alios fundos, vel bona immobilia possidet. Sole-

bat hospitium istud hucusque locari de anno in annum. Vellet autem Reverendissimus loci Prælati nunc illud locare ad vitam Conductoris; idque ob sequentes rationes. Imò quia ad brevius tempus sibi locatum nemo, Oeconomix peritus, & mediis instructus illud vult acceptare, 2^{do} quia ex annua ejus locatione hætenus Monasterium plus detrimenti, quàm emolumenti accepit. Exemplum est ulti-

mus